



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

70. Cum Sac. Rituum &c. Decretum quo Causas omnes tam  
Beatificationis, & Canonizationis, quàm alias controversas, quæque quovis  
modo in Sacra Rituum Congregatione tractantur, ad Notarium ejusdem ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)



1714

diligentiâ novissimè impressi, & prope diem publico usui exponendi Sacrae Rituum Congregationi enixè fuerit supplicatum, ut nonnulla ejusdem Sacrae Congregationis Decreta jam aliàs edita, & approbata, in prædicto novo Missali summam apponi, & imprimi posse benignè concedere dignaretur, videlicet:

Missæ pro Defunctis, sive de Requiem in festis duplicibus contra præscriptum Rubricarum Missalis Romani nullatenus celebrari debent. Quod si ex Benefactorum institutione Missæ hujusmodi celebrandæ incidunt in festum duplex, tunc, ne dilatio animabus suffragia expectantibus detrimento sit, in aliam diem non impeditam minimè transferantur; sed dicantur de festo currenti cum applicatione Sacrificii juxta mentem eorundem Benefactorum die 5. Augusti 1662. approbatum à fel. recor. Alexandro VIII. eadem die.

Prædictum decretum ab ejusdem fel. recor. Alexandro VII. speciali Brevi, quod incipit: *Credite Nobis*: denuò fuit confirmatum, ac insuper statutum idem servandum esse quoad Missas in Altaribus Privilegiatis ex obligatione celebrandas, & Indulgentias per ejusmodi Privilegia concessas animabus in Purgatorio existentibus suffragari, perinde, ac si celebratæ fuissent Missæ Defunctorum. Ac denique declaratum Anniversaria, & Missas cantatas de Requiem relictas ex dispositione Testatorum quotannis in die ipsorum obitus, etiam in duplici majori contingenti, in prædicto Decreto die 5. Augusti edito minimè comprehendi, prout antea in una Novarien. 22. Novembris 1664. eadem Sacra Congregatio declaraverat, Die 22. Januarij 1667. Pontificatus XII.

Deinde fel. recor. Clemens IX. eadem Sacrae Congregationis Decreta alio Brevi, cujus initium: *Cum fel. recor.* iterum confirmavit, prædictamque Alexandri VII. dispositionem ad Altaria non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius, vel longius tempus, ac non in omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus nunc, & in futurum quodcumque privilegiata extendit. Die 23. Septembris 1669, Pontificatus III.

Tandem proposito dubio, an supradictæ Alexandri VII., & Clementis IX. Declarationes sibi locum vindicarent etiam in diebus Dominicis, & infra Octavas Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi, aliisque anni diebus, quibus licet à festo duplici non impediatur, adhuc tamen Missæ Defunctorum juxta Ritum Ecclesiæ celebrari nequeunt, quatenus nimirum Missæ, quas iisdem diebus celebrari licet, servata cæteroque Privilegiatorum forma, ad Altaria privilegiata celebrarentur; eadem Sacra Rituum Congregatio die 3. Aprilis 1688. prædictorum Pontificum declarationes pro omnibus diebus, quibus juxta rubricas Missæ Defunctorum celebrari non possunt, intelligendas esse respondit, ejusque Decretum subinde confirmatum fuit à fel. recor. Innocentio Papa XI. speciali Brevi, quod incipit: *Aliàs postquam*; dato die 4. Maji 1688.

Decretum à Sacra Rituum Congregatione anno 1620. editum, quo permittitur posse in Ecclesiis recitari Officia, & Missas celebrari de illis Sanctis, quorum Corpora, vel Reliquiæ insignes in eisdem asservantur, intelligendum esse de Sanctis dumtaxat in Martyrologio Romano descriptis, & dummodò confit de identitate Corporis eorundem, vel insignis Reliquiæ; secus verò de Sanctis in eodem Martyrologio non descriptis. Quorum tamen Corporibus, & Reliquiis ab Ordinariis locorum approbatis debita à Fidelibus veneratio adhibenda est, sed absque Officio, & Missa, sub penis

de non satisfaciendo præceptore citandi Officium, aliisque in Constitutionibus S. Pii V. contentis. Die 11. Augusti 1691., approbatum à fel. recor. Innocentio XII. die 19. Octobris.

Ad augendam Fidelium venerationem erga Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, ejusque cultum in toto terrarum Orbe promovendum, prohibitum est celebrari Missas votivas, vel pro Defunctis infra octavam Corporis Christi. Die 21. Junii 1670. Eadem die à fel. recor. Clemente XI. approbatum.

Item prohibitum est easdem Missas celebrari infra Octavam Nativitatis Domini; in Missis verò solemnibus pro re gravi infra eandem Octavam celebrandis dicenda est Præfatio juxta rubricam generalem tit. 12. num. 4., die 25. Septembris 1706. jam à Sanctissimo approbatum.

Re verò in Sacra Rituum Congregatione ad relationem Eminentiss., & Reverendiss. Domini Cardinalis Barberini pluries discussa, & maturè perpensa, Sacra eadem Rituum Congregatio supradicta Decreta, tum ut Celebrantium instructioni, & usui sint, tum ut nonnulli abusus, qui in aliquibus locis irreperant, penitus evellantur, in post Missali rubricas generales apponi, & imprimi posse censuit, si Sanctissimo Domino Nostro visum fuerit, Die 15. Septembris 1714.

Factaque deinde per me Prosecretarium de prædictis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Suas sensum Sacrae Congregationis approbavit, eademque Decreta in Missali apponi, & imprimi mandavit. Die 29. Septembris ejusdem anni 1714.

F. Cardinalis de Abdua Præfectus.

N. M. Tedeschi Episcopus Liparit. Sac.  
Rit. Congr. Pro-Secretarius.

## DECRETUM.

Quo Causas omnes tam Beatificationis, & Canonizationis, quam alias controversas, quæque quovis modo in Sacra Rituum Congregatione tractantur, ad Notarium ejusdem Sacrae Congregationis privativè quoad omnes alios, etiam Palatii Apostolici, A. C., aliorumque Tribunalium quorumcumque Notarios, spectare declaratur, & statuitur.

XXI

Cum Sac. Rituum Congregatio, ne tam Processus Causarum Beatificationum & Canonizationum, quam alii, qui in causis controversis confici possunt, per manus Notariorum variorum Tribunalium dispersi vagarentur, usque ab anno 1625., pro actandis hujusmodi causis Clearcum Buscum in proprium, & peculiarem ipsius Sacrae Congregationis Notarium nominaverit; Cumque hujusmodi declaratione minimè obstante, Notarii A. C., ac signanter Sac. Palatii Apostolici in prædictis causis controversis sese ingerere cœperint, denuò habito per Jacobum Saxum anno 1682. ad Sac. Rituum Congregationem recursum, eadem Sac. Congregatio die 24. Januarii prædicti anni de communi EE. Cardinalium dictæ Sac. Congregationi Præpositorum voto censuit, & decrevit, omnes causas, penes ipsam controversas ac impofterum controvertendas, ab eaque cognoscendas, illarumque acta omnino spectare ad Notarium ipsius Sacrae Congregationis privativè quo ad omnes alios Notarios quorumcumque Tribunalium, & ita observari mandavit, non obstantibus quibuscumque. Huic autem decla-

ratori,



1715.

rationi, ac decreto post aliquod tempus prae-  
morati Notarii minimè obtemperantes, varias su-  
pra recensitas causas astitarunt citationes, expe-  
dierunt, Processus confecerunt, aliaque peragere  
in praedictum iurium, ac facultatum proprii  
Notarii Sacrae ejusdem Congregationis attenta-  
runt. Proinde Cosmus Antonius de Bernardinis  
modernus ejusdem Sac. Congregationis Notarius,  
apud ipsam iterum, institit, quatenus praedictis  
Sac. Palatii, vel A. C., & aliorum Tribunalium  
Notariis tum observantiam memorati Decreti,  
tum restitutionem scripturarum omnium, ac  
Processuum mandare dignaretur, iisdemque in-  
hibere, ne in hujusmodi causis controversis, a-  
liisque ad Sacram Congregationem Rituum spe-  
ctantibus in posterum sese ingerere illo modo  
audeant, vel praesumant. Sacra verò eadem Con-  
gregatio hujusmodi instantiae die 23. Martii 1715.  
rescribendum duxit: *Audiatu Notarius A. C. co-  
ran Eminentissimo Praefecto*; Citato itaque coram  
eodem Eminentissimo Sac. Palatii, & A. C. No-  
tario Paulo Fatio, pluriesque, tam in voce, quam  
in scriptis audito, juribusque hinc inde deductis  
visis, & maturè perpensis, propositaque denuo  
Instantia sub infrascripta die, Sac. eadem Rituum  
Congregatio iterum censuit, ac decrevit, causas  
omnes tum Beatificationis, & Canonizationis,  
tum controversas, quaeque quovis modo in ipsa  
Sacra Congregatione tractantur, earumque acta,  
Processus &c. spectare ad proprium illius No-  
tarium privatè quoad omnes alios, nec non  
tum S. Palatii Apostolici, & A. C. tum aliorum  
Tribunalium Notarios inhibendos esse, ne am-  
plius in causis jam enunciatis sese ingerere au-  
deant, & praesumant sub poenis arbitrio ipsius  
Sacrae Congregationis infligendis, Et ita decrevit,  
& servari mandavit, si Sanctissimo Domino No-  
stro visum fuerit. Die 6. Mensis Julii 1715.

*Factaque deinde per me Prosecretarium de praedictis  
Sanctissimo relatione, Sanctitas Sua benignè annuit.  
Die 13. ejusdem mensis, & annis 1715.*

F. Card. de Abdua Praefectus.

*N. M. Tedeschi Episc. Liparit. Sac.  
Sac. Rit. Congr. Pro-Secr.*

*Die 18. Julii 1715. supradictum Decretum affixum,  
& publicatum fuit ad valvas Curiae Innocentianae,  
in Aed. Campi Flora, & aliis locis solitis, & con-  
suetis Urbis per me Jo. Baptistam de Capellis Apost.  
Curs.*

Ludovicus Capellus Mag. Curs.

## DECRETUM.

XXII. Quo Oratio de B. Joanne Francisco Regis pro  
Missâ, & Officio approbatur.

## ORATIO.

*Pro Vent. Servo Dei Joanne Francisco Regis.*

**D**EUS qui ad animarum salutem Beatum Joan-  
nem Franciscum Confessorem tuum mirabi-  
li charitate, & invicta patientia decorasti, con-  
cede propitius, ut ejus meritis, & exemplis æ-  
ternæ vitæ præmia consequamur, Per Domi-  
num, &c.

Sacra Rituum Congregatio suprascriptam Ora-  
tionem propriam in Beatificatione Servi Dei Joan-  
nis Francisci Regis Societatis Jesu Presbyteri so-  
lemniter decantandam approbavit, eamque post-

modum in Officio illius, & Missâ recitari posse  
concessit, si Sanctissimo Domino Nostro visum  
fuerit. Die 9. Maji 1716.

*Factaque &c. Sanctitas Sua benignè annuit.  
Die 30. ejusdem mensis, & anni 1716.*

F. Card. de Abdua Praefectus.

*N. M. Tedeschi Episc. Liparit. Sac.  
Rituum Congregat. Secret.*

## DECRETUM.

XXIII. Quo Elogium S. Fruilani Episcopi Legionensis  
pro descriptione in Martyrologio Romano  
approbatur.

*Elogium S. Fruilani Episcopi.*

**L**Egione in Hispania Sancti Fruilani ejusdem  
Civitatis Episcopi, monasticæ vitæ propa-  
gandæ studio, beneficentia in pauperes, ceteris-  
que virtutibus, & miraculis.

## Legionem.

Suprascriptum Elogium proprium S. Fruilani  
Episcopi Legionensis ab Eminentissimo, & Re-  
verendissimo Domino Cardinale Origo diligen-  
ter compositum, & in Sacra Rituum Congre-  
gatione relatum, Sacra eadem rituum Congre-  
gatio approbavit, ac in Martyrologio Romano  
sub die quinta Octobris apponi, ac imprimi pos-  
se censuit, si Sanctissimo Domino Nostro visum  
fuerit. Die 9. Maji 1716.

*Factaque &c. Sanctitas Sua benignè annuit.  
Die 30. ejusdem mensis, & anni 1716.*

F. Card. de Abdua Praefectus.

*N. M. Tedeschi Episc. Liparit. Sac.  
Rituum Congregat. Secret.*

## DECRETUM.

XXIV. Quo sancitur incidente festo Sanctissimæ Annun-  
ciationis in feriam V. Majoris Hebdomadæ  
Præceptum audiendi Missam, & abstinendi  
ab operibus servilibus non esse transferendum,  
sed omninò servandum, adeoque per loco-  
rum Ordinarios providendum, ut plures Mis-  
sæ privatæ ante celebrationem Missæ Con-  
ventualis pro Præcepti adimplemento celebren-  
tur.

**C**UM Festum Sanctissimæ Annunciationis se-  
quenti anno 1717. incidat in feriam V. Ma-  
joris Hebdomadæ, ideòque à nonnullis qua-  
situm fuerit, an Præceptum audiendi Missam,  
& vacandi ab operibus servilibus ad Diem, in  
quâ ejus Officium celebrari debet, sit transferen-  
dum; an verò servandum sit in ipsâ feriâ v. Ma-  
joris Hebdomadæ, & per Locorum Ordinarios  
providendum, ut eo die aliquæ Missæ privatæ  
ante Conventualis pro Præcepti adimplemento  
celebrentur, prout in Camerinen., & pro Ec-  
clesiis Almæ Urbis mendatum fuit, die 20. Mar-  
tii 1660. Sacra eadem Rituum Congregatio, re-  
maturè discussa, censuit, Præceptum audiendi  
Missam, & abstinendi à servilibus non esse transfe-  
rendum, sed omninò servandum esse in prædictâ  
feriâ v. Majoris Hebdomadæ, adeoque per Ordina-  
rios Locorum providendum, ut eo die pro  
Civitatum, & Pagorum qualitate, ac Christi